



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes Matt. 18

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

suam, Martha s. & Maria: Vtrasque enim sanctas, utraque bonas & iustas esse credimus. Sed qualis sit melior, ipse declarare dignatus est, qui teste non eger, dicens: Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea, &c.

IN FESTO SANCTI

Michaelis archangeli,

Matth. XVIII.

In illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua.

Quoties legimus discipulos domini de ordine priorat^o inter se contentisse uel interrogasse, nõ liuori & inuidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati, quippe qui rudes erant ac nouelli: quia eñ audierant eum suam resurrectionem prædicantem, & nondũ spiritus sancti gratia illuminati, cæleste regnũ perfecte amare didicerant, (quia ut ait euangelista Ioh. 7: nondum erat spiritus datus, quia Iesus nõ dum fuerat glorificatus) putabant quod, ipse resurgens a mortuis, corporaliter regnum teneret, & ipsi honoribus sublimarentur. Vnde passionis illius tempore facta est contentio inter eos, quis eorum maior esset in regno cælorum. Hac suspitione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad dominum, dicens: Domine dic ut se Mat. 20: deant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam,

YY

& alius ad sinistram tuam in regno tuo Hinc Cleophas & alius discipulus, quibus cū dominus post resurrectionem in specie peregrini apparuisset, dicebant: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Et quidam discipulorum interrogantes eum, dicebant: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Occasio autem interrogandi dominum, quis illorum maior esset in regno cælorum, fortassis ex superioribus acciderat. Nam ut supra euangelista retulit, accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, & dixerunt ei: Magister uester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset domum, preuenit eum Iesus, dicēs: Quid tibi uiderur Simon? Reges terrę a quibus suscipiunt tributum uel cęsum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Ne autem scandalizemus eos, uade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto eius ore, inuenies staterem. illum sumens, da eis pro me & te. Quia ergo alij discipuli uiderant Petrum in redditione census domino cęquari, computantes eū illis omnibus esse prælatum, in illa hora accesserunt ad Iesum, dicentes: [Quis putas maior est in regno cælorum?] Sed magister humilitatis, qui ait in euangelio, Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris, ut ostenderet regnum cælorum non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendū, illumq; fore maiorem in eo, q; propter deum se humiliat,

Aduocans paruulum, statuit eum in me-

dio eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum.

Quod duobus modis potest intelligi. Possumus enim hic paruulum dominum Iesum Christum accipere, qui cum sit magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, ut nos excelsos faceret, paruulus natus est nobis, & filius datus est, nobis. Et est sensus: Nisi meo exemplo uos humiliaueritis, qui non ueni ministrari, sed ministrare, & factus sum in medio uestrum sicut qui ministrat, sed non qui uel quasi recumbens, regnum caelorum quod humilibus est prae paratum, intrare non potestis. Si autem simpliciter quemlibet paruulum intelligamus, facile pater, quia non solum ad humilitatem, sed etiam ad simplicitatem seruandam hoc exemplo nos hortatur. Ac si diceret: Sicut paruulus iste cuius uobis exemplum proposui, uidens mulierem pulchram non concupiscit, non alienas diuitias appetit, laesus non relædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias, ita & uos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum caelorum, quod humilibus & simplicibus est prae paratum, intrare nequaquam potestis. Cuius uiam nemo superbus graditur, ne mo tumidus incedit: quia ardua uia est & angusta, quae ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Cui ergo ait, [Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum]

Quicumque ergo humiliauerit se sicut paru-

uulus iste, hic est maior in regno cælorum.
Et qui susceperit unum paruulum talem in
nomine meo, me suscipit. Qui autem scanda-
lizauerit unum ex pusillis istis &c.

- Tale est ac si dixisset: Tam si uos delectat locus
sublimis, prius exerceat humiliatio uitæ innocen-
tis: non quod apostolos corpore uellet esse paruu-
los, sed ut innocentiam paruulorum in mente pos-
sideret. Huiuscemodi paruulos, dominus suos uo-
lebat esse discipulos, quibus dicebat: Sinite paruu-
los uenire ad me, talium est enim regnum cælo-
rum. Et Paulus apostolus talium innocentiam
paruulorum suos uolebat habere discipulos, qui-
bus per epistolam præcipiebat: Nolite pueri effi-
ci sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus au-
tem perfecti sitis. Talem se nouerat rex propheti-
cus, qui in regali solio sublimis, sed mente humi-
lis, dicebat: Custodiens paruulos dominus, humi-
liatus sum & liberauit me. Et iterum: Ludam &
uilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis
in oculis meis. Paruulus est enim, qui sibi displicet
ut deo placeat: tantoq; ante deum erit pulchrior,
quanto apud semetipsum erit humilior. Vnde &
subditur: [Quicumque ergo humiliauerit se sic-
ut paruulus iste, hic maior erit in regno cælorū.]
Habeamus ergo uirtutem humilitatis, si uolumus
habere in regno cælorum locum celsitudinis: quo-
niam sicut saluator ait in euangelio, Omnis qui se
humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabi-
tur. Vnde & nos alibi scriptura admonet, dicens:
Eccī. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & co-

ram deo inuenies gratiam. Et iterum: Humilia-
mini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tem-
pore uisitationis. Et ne putares illum esse conte-
mnendum, qui propter deum hic se humiliat, con-
gruam sententiam adiunxit, dicens: [Et qui susce-
perit unum paruulum talem in nomine meo, me
suscipit.] Hoc est quod dominus in futurum se p-
misit dicturum: **Mat. 25.** **Mat. 25.**
Quandiu fecistis uni ex minimis
meis, mihi fecistis. Et signanter ait: Qui suscepit
unum paruulum talem in nomine meo, me susci-
pit. Quauis enim nō sit eligendum cui iuxta scri-
pturæ uocem benefacere debeamus, illis tamen
qui propter deum parui & humiles esse eligunt,
in cuius uitæ moribus Christum esse cognosci-
mus, specialem beneuolentiam impendere debe-
mus. Vnde cum pius pater filium instrueret, ait: **Tob. 4.**
Panem tuum & uinum tuum super sepulturam iu-
sti constitue, & ne communicaueris ex eo cum pec-
catoribus. Et iterum: Desudet eleemosyna in ma-
nu tua, donec inuenias iustum cui tradas eam.
Hinc & Apostolus ait: Dum tempus habemus, **Gal. 6.**
operemur bonum ad omnes, maxime autem ad
domesticos fidei. Qui enim bona temporalia il-
lis impendit, in quorum uita & moribus Christum
habitare cognoscit, profecto illi tribuit, pro cuius
amore impendit. Vnde bene dicitur, in nomine
meo. Multi enim bona temporalia non in nomi-
ne Christi, sed ut laudem hominum captare pos-
sint tribuunt, de quibus scriptum est: **Ioh. 12.**
Quæserunt gloriã hominum magis quam gloriã dei. Et dñs
alibi, **Mat. 23.** Omnia opera sua faciunt ut uideantur ab
hominibus. Et iterum: Amen dico uobis, recepe-
Mat. 6.

runt mercedem suam. Et ne ad suscipiendos hospites uel peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his suscipi promissit cū ait: [Qui suscipit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.]

Mat. 12. Vnde & ipse alibi dicit: Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et iterum: Qui uos recipit, me recipit: & qui uos spernit, me spernit. Sicut autem suscipientibus merces promittitur, ita duris & auariz pœna indicitur, cum subinfertur:

Luc. 10. Qui autem scandalizauerit unum de puillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Ubi considerandum est, quam graue peccatum sit scandalizare fratrem, quando etiã scandalizantibus talis uindicta comminatur. Quod autem ait, Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & in profundo maris demergatur, iuxta morem prouinciæ loquitur, ubi apud ueteres Iudæos capitalia crimina hoc supplicio puniebantur. Non ergo arbitretur, leue peccatum esse scandalum fratris, cum scandalizantibus talis pœna prædicitur, quoniam sicut alibi in euangelio ait:

Mat. 6. Qui dixerit fratri suo fatue, re⁹ erit gehēn ignis. Quod se cauere omnino Apostolus ostendit, cum ait: Melius enim mihi est non manducare carnem,

Ro. 14. neque bibere uinum, neq; aliquid in quo fratrem scandalizem. A quo peccato etiam discipulos suos compescit, dicens: Quare tu scandalizas fra-

Ro. 14. os compescit, dicens: Quare tu scandalizas fra-

S. MICHAELIS ARCHAN. 7^r

trem tuum, aut quare spernis illum? Igitur in quā
tum possumus, iuxta Apostoli admonitionem,
scandalum fratrum vitare debemus. si autem pro
ueritate scandalum oriatur, magis ueritas eligen-
da est quam scandalum uitandum. Vel certe per
molam asinariam quæ pondus habet, sed nullum
iter explicat, uolubilis amor seculi exprimitur.
Cum ergo ait, [Expediit ei ut suspendatur mola
asinaria in collo eius, & demergatur in profun-
dum maris,] carnales quosque & mundi amato-
res a regimine ecclesiastico prohibet: quoniam
melius est, quod mundi amator in seculo uiuens
carnaliter, se solum perdat, quam in regimine ec-
clesiastico constitutus, se & alios per se uiuen-
do ad interitum trahat: quia cuius uita despicitur,
restat ut eius prædicatio contemnatur: quoniam
dum infirmi discipuli patroni sequuntur exem-
plum, & ipsi pereunt, & illorum perditio in eius ca-
put redidat, qui autor est criminis. Siue certe per
molam asinariam doctores intelliguntur, quia
sicut mola granum tritici frâgitur, ut medulla ei-
us ad sustentationem uel refectionem humanæ na-
turæ ostendatur, ita quoque & doctores occultas
sententias scripturæ sacræ aperientes, interiorum
sensum eorum manifestant, uel uitam siue refe-
ctionem animarum sanctarum.

Væ mundo ab scandalis.

Mundus cui uæ dicitur, non ille est quem uenit
filius hominis querere & saluare, sed ille qui in ma-
ligno positus est, id est, mundi amatores, de quo
dominus alibi ait: Pater iuste, mundus te non co-
gnouit. Qui enim mente & desiderio seculum in-
Ioh. 17.

YY iiij

colunt, recte mundus appellantur, de quibus Iohannes ait: Mundus transibit & concupiscentia eius. Mundi enim amatores dum propter cupiditates seculi alios non metuunt scandalizare, tamen ipsi scandalum sustinent, aliquando autem corpore, semper autem mente. Et ideo uæ illis, quia ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quibus per Iacobum dicitur: Qui uoluerit esse amicus huius seculi, inimicus dei constituitur. ad quos pertinet quod adhuc subiungitur:

Necesse est enim ut ueniant scandala, uentamen uæ homini per quem scandalum uenit. Quod autem ait, necesse est, tale est ac si diceret: Non potest esse ut scandala non ueniant. Oportet enim & hæreses esse, sicut ait Apostolus, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Et alia scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Pacis autem tempore non facile discerni potest, quis bonus malus uel sit. Sed cum scandalizatorum flauerit uentus, faciles & tenues proiciet quasi paleas ante faciem uenti, grana uero congregabit in horrea Christi. Uæ ergo homini illi qui talem se exhibet, ut malum quod uenturum est, per eius ministerium impleatur, de quibus dominus ait: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & tradent ea in camino ignis ardentis. Quod facilius intelligimus, si unum ad medium deducamus, Iudam scilicet domini proditorem, de quo ipse tempore passionis suæ ait: Filius hominis uadit sicut scriptum est de illo, uæ autem homini il-

1. Ioh. 2.

Iob. 21.

Iac. 4.

1. Co. 11.

Ecci. 27.

Matt. 13.

Mat. 26.

S. MICHAELIS ARCHAN. 7:3

li per quem traderetur, Necessse enim erat, ut filius dei pro nobis passionem sustineret, sed de Iudæ, qui nostrum bonum, suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum uel amicorum a uia dei sibi recedendum putaret, omnem magister ueritatis errorem tollit cum subiungit:

Si autem manus tua uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum, quam duas manus uel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scandalizat te, erue illum & projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo intrare ad uitam, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.

Iuxta literam quantum abhorreat hoc, facile patet. Sed cum a litera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc quod manus, pes, oculus, nostris necessitatibus necessaria sunt, propinquorum & charissimorum affectus in hoc loco designatur. Ac si diceret Dominus: Si quis tibi fuerit preciosus ut oculus, propinquus ut pes, necessarius ut manus, & a uia dei te recedere persuaferit, huius amorem abscinde & abs te projice. Melius est te solum intrare ad uitam, quam cum multa turba propinquorum mitti in ignem æternum.

Quid proficit homini si totum lucretur mundum, Matt. 16
animæ autem suæ detrimentum patiatur? Verbi gratia: Blanditur uxor, minatur pater, persuadet mater, lachrymatur frater & soror; tu autem in

YY v

aitia domini sita firmus, ne illos inutiliter amando,
a dei amore recedas, sed iuxta illud quod alibi ait:
Sine mortuos, mortuos suos sepelire, tu autem se-

- Mat. 8.** quere me. Neq; hoc diximus, quod parentibus &
amicis ingrati & inobedientes esse debeamus, sed
quando a uia dei remouere uoluerint, tunc eorum
amorem abscindamus a nobis. Cæterum cum eos
deum amare cognouerimus, dupliciter a nobis ho-
norandi sunt. Primum, quia iusti sunt: deinde, quia
propinqui, domino dicente in lege: Honora patriem
tuum & matrem, ut bene sit tibi, & longo uiuas te-
pore. Hinc Apostolus ait: Si quis suorum curam non
habet, & maxime fidelium, fidem negauit, & est in-
1. Tim. 5. fideli deterior. Quantam autem sollicitudinem &
curam dominus de his habeat, qui totam spem in
eo ponunt, manifestat cum subiungit:

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis

- Qui enim pusilli & humiles in presenti uita pro-
pter deum sunt, nequaquam contemnendi sunt. Pu-
silli namq; sunt, ut diximus, qui coram oculis suis
humiles sunt & despecti, de quibus saluator ait in eu-
Luc. 12. gelio: Nolite timere pusillus grex, quia compla-
cuit patri uestro dare uobis regnum. Quisquis er-
go tales scandalizare non metuit, offendit deum, qui
habitat in illis, sicut ipse per Prophetam dicit: Qui
tangit uos, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Et
Zacha. 2
Psa. 104 iterum: Nolite tangere Christos meos, & in pro-
phetis meis nolite malignari. De quibus ualde dul-
ce est quod adhuc subinfertur, quare non sint con-
temnendi:

Dico enim uobis, quia angeli eorum in

cælis semper uident faciem patris mei qui
in cælis est.

In hoc loco discimus, quia unusquisque fide-
um, angelum ob sui custodiam deputatum habet,
qui & eum a tentationibus defendit, & in uirtuti-
bus iuuat, sicut Apostolus in epistola ad Hebræos
ait: Angeli sunt administratorij spiritus, in min- Heb. 1.
sterium missi propter eos, qui hæreditatem capi-
une salutis. Et Psalmista de iusto quolibet. Ange
lis suis mandauit de te, ut custodiant te in omni- psal. 90.
bus uis tuis, & in manibus tollent te, ne forte offen-
das ad lapidem pedem tuum. Hinc de Petro in Acti-
bus apostolorum legimus, quia cum ab angelo
de carcere adductus ianuam pulsare cepisset, fide-
les qui conuenerant, dicebant: Non est Petrus, sed Actu. 12.
angelus eius. Angeli ergo paruulorum semper ui-
dent faciem patris, quia sic propter nos foras ex-
eunt, ut ab eius uisione nunquam recedant, sicut
ipse angelus Raphael ad Tobiam ait: Ego sum Tob. 12.
unus de septem spiritibus, qui assistimus ante de-
um. Et Daniel: Millia millium ministrabant ei, & Dan. 7.
decies milies centena millia assistebant ei. Ange-
li enim qui custodes sunt uitæ nostræ, orationes
& opera nostra deo nunciare creduntur, sicut an-
gelus ait Tobie: Cum orares, ego obtuli orati-
ones tuas ante deum. Et Daniel: Ex deo qua Tob. 12.
fuisisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in
Dan. 10.
conspectu dei, exaudita sunt uerba tua, & ego ue-
ni propter sermones tuos. Tu autem domine, &c

DE MARTYRIBVS.

Luca VI.